et omnis istaec lux obscurabitur, cymeriisque tenebris involvetur.
Sed transeo ad pulicis scientias ac disciplinas, quibus eum
(quod non parva laus esse debet) eum instructissimum ostendi:
inter quas primum locum obtinet insignis concionandi peritia,
quâ sine voce, sine verborum strepitu ac pompa in Principum
regumque superbiam acerrimè invehitur cristasque superbiae, quas
sibi sumpserant, nullâ regiae maiestatis habitâ ratione, de-
ponere iubet, dum videl. leniter eos mordendo, aut regiae
insidendo purpurae, eos conditionis suae vilitatisque admonet.
Egregium sanè, si Diis placet, concionatorem! si de hac
causa, pulex concionator dicendus, cur non eodem nomine
appellamus latrones? admonent n. fragilem esse vitam; cur non fures?
testantur labiles esse divitias, quae tam facilè subducuntur; cur non apostatas?
clamant quippe attentè custodiendam esse sanctitatem, quae et in
religionis portu naufragium facit; cur denique non omnes afflictissimos
appellamus concionatores? qui durissimam esse peccati servitutem
asseverant; quod si libet istos concionatores nominare, et pulices,
mihi credite Aud. non opus est vos de concionatoribus sollicitos esse,
plures huiusmodi sunt quam desideretis: si vero hos hoc nomine
non licet vocare, cur pulicem vocabimus concionatorem! nisi
fortè eo nomine, quod plurimos mordendo non moneat, sed mordeat.
Sed demus hac ratione pulicem concionatorem non vocandum,
aliunde tamen concionatoris nomen minime illi negandum
erit, exemplo n. Servatoris nostri, vigilare nos attendite